

## EXERCITATIO LXXIX.

*De admirandis in Homine.*

1. **Q**uid in *Homine* præcipuè admirandum? Resp. Nexus ille, qui est inter mentem & corpus, res toto genere diversas, cui nihil simile apparet in natura. Sed quia homines plerique existimant, similem in aliis rebus ex corpore & anima, sive materia & forma, compositionem dari, ideo minus mirantur.

2. Nec valdè à mea sententia diffidere videtur Plato, cujus opinionem argum. in dialog. 1. de Legib. his verbis tangit Marsilius: *Quoniam verò animal unum ex rebus tam diversis dixerat esse compositum, haud ab re subjungit, hominem inter animalia miraculum esse divinum, Mercurium imitans dicentem, miraculum ingens hominem esse &c.* Sed cæteris jam omissis, cur nam homo miraculum? Quia & cum divinus sit, mirum est eum à mortalibus infici: & cum sit mortalis, mirum quoque affici ad divina &c.

3. Quid in attributis, quæ homini ratione solius animæ competunt, imprimis admirandum? Resp. *Mens & sapientia*